

Licet autem quotquot hucusque enumerati sunt, dispensatione non indigeant; suadendum tamen fidelibus est, ut si commode possint, veniam a Superiori ecclesiastico postulent, ne scilicet cupiditate decepti absque sufficienti ad excusandum causa cum aliorum scandalio laborent. Superior autem hic intelligitur praesertim Episcopus; qui licet generalem pro subditis omnibus dispensationem tribuere non possit, multoque minus permanentem (quippe id suppressioni festorum aequivaleret); at quoad aliquos actus cum particularibus personis ex rationabili causa dispensare potest; immo hanc facultatem etiam parocho consuetudo concedit.

10° Non autem excusandi, imo severe redarguendi sunt, qui saepius post median noctem incepturn laborem in diem festum etiam praetextu necessitatis protrahunt; quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum saepissime in eam se coniiciant, vel plura assumendo opera ad certum diem perficienda, quam quae explere possint, vel non adhibendo eum operariorum numerum, quem opus requireret, vel intra hehdomadam rebus inutilibus tempus terendo. Facilius illos excusares, quibus traditum die praecedenti fuisset opus perficiendum in diem festum sequentem.

362. — QUAER. *An excusat otii vitandi ratio?*

Resp. Neg., communiter loquendo. Etenim ratio ista prorsus insufficiens est ad legem Ecclesiae adeo gravem posthabendam. Excipiunt Laymann, Mazzotta, etc., si otium probabile peccandi periculum inducat; quia (aiunt) si excusat periculum damni temporalis, *a fortiori* periculum damni spiritualis excusare debet. Sed hoc S. Alphonsus (n. 362.) libentius restringit ad casum, in quo urgeret tentatio, quae aliter vinci non posset, quod raro accidit. — V. *Casus*, n. 354. et seq.

DE IV. DECALOGI PRAECEPTO

Honora patrem tuum et matrem tuam. Exod.. 20. 12.

Hoc praecptum *primario* et *directe* respicit obligationes filiorum erga parentes; *secundario* autem et *implicite* spectat obligationes parentum erga filios, neenon obligationes mutuas aliorum Superiorum, atque inferiorum.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES

363. — Filii erga parentes specialissima obstringuntur obligatione. Tria autem officia parentibus a filiis exhibenda sunt titulo pietatis, amor quando magnum lucrum admittunt; | tere et prohiberi acquirere, quod am in idem enim coincidunt, aliquid amit plius acquiri non potest.

videlicet, reverentia et obedientia (1). Triplicem enim respectum habent parentes erga filios, nempe ratione causae, ratione preeminentiae, et ratione regiminis. Consequenter filii eos amare debent ut sua existentiae auctores, revereri ut Superiores, eisque tamquam rectoribus a Deo legatis obedire.

I. *Amor.*

Filii parentes amare debent amore *interni*, ipsos pio et benevolo cordis affectu prosequentes; tum *externo*, omne malum et iniuriam notabilem ab ipsis propulsantes, neenon externae benevolentiae signa eis exhibentes, iisque in necessitate constitutis pro facultate subvenientes. Constat ex iure naturali. Quamvis igitur genitores nostri defectus quantumvis graves habeant, et quovis modo erga nos se gesserint, eis tamen debemus vitam et conservationem, quod omnium sane beneficiorum maximum est. Hinc *Eccli. 7. 29. 30.*: *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviouscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; et retribue illis, quomodo et illi tibi.*

364. *Resolves.* — 1° Peccant graviter filii contra virtutem pietatis, si parentes interius odio habeant, exterius signa odii ipsis exhibeant; si eos aspere tractent, vel torvis oculis intueantur, perinde ac si odio haberent.

2° *A fortiori*, si malum eis exoptent, et ipsam mortem, ut liberius vivere, vel hereditate eorum potiri possint, vel ut cura et custodia eorum liberentur; si ipsis coram aliis graviter detrahant; si vi, dolo aliisve iniustis mediis a condendo testamento illos impendant, etc.

3° Item, si eos ad iram provocent, et gravem tristitiam absque iusta et gravi causa ipsis afferant, praesertim si eos contristent usque ad lacrymas. Sic enim in *Prov. 19. 26.*: *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.* Et *Eccli. 3. 18.*: *Est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.*

4° Si parentibus graviter indigentibus alimenta et alia necessaria non subministrent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendam artem ipsorum statui indecoram; si eos infirmos, afflictos aut senio confectos non visitent, vel eis non compatiantur, opemque illis ferre renuant;

(1) Amor, obedientia et obsequium seu reverentia, quae aliis hominibus debentur ex virtute *charitatis*, vel *observantiae* etc. prout parentibus exhibentur, pertinent ad aliam virtutem; quia eiusmodi officia specialiter illis debentur tamquam vitae et educationis nostrae post Deum auctoribus adeoque adaequatio huius debiti pertinet ad specialem virtutem quae *pietas* dicitur; quae tamen pietas erga parentes differt a pietate erga Deum, quae consistit in studio interioris devotionis, et ad virtutem *Religionis* pertinet. Vid. S. Thom. (2. 2. q. 101. art. 1. et 3. et q. 102. art. 1.).

praesertim vero, si illis non subveniant in necessitatibus spiritualibus, ut nempe ipsis in articulo mortis Sacraenta administrentur, etc. — Tandem si ipsis vita functis non carent, ut exequiae et Ecclesiae caeremoniae modo eorum conditioni congruo persolvantur. — S. Lig. n. 333.

II. Reverentia.

365. — Filii parentibus exhibere debent reverentiam tum internam, ut illos nimirum agnoscant tanquam Superiores, et ideo timorem quoque reverentiale erga eos habeant; tum externam, quae in verbis et factis sita est. Hinc *Eccli. 3. 9.*: *In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.* — Et *ibid. 8.*: *Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* — *Deut. 27. 16.*: *Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem, et dicet omnis populus: Amen.*

366. **Resolves.** — 1º Graviter peccant filii, si parentes percutiant, etiam leviter, sed iniuriose. Quod crimen vetustis etiam temporibus adeo visum est atrox, ut olim apud Hebraeos morte plecterentur quicumque illud admisissent, *Exod. 21. 15.*: *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* — Item si voluntatem percutiendi ostendant, v. gr. in eos manum attollendo, vel baculum aut aliud instrumentum ad percutiendum arripiendo. Item si eiusmodi minas ipsis quovis modo intentent, etc.

2º Graviter peccant, si parentibus maledicant, ut patet ex verbis *Exod. 21. 17.* *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur:* vel si convicia in eos coniiciant, eosque iniuriis aut verbis contumeliosis, quibus sciunt graviter eos offendendos esse, afficiant; si ipsis graviter illudant risu, subsannationibus, gesticulationibus, improperiis, derisionibus, aspectu torvo, etc., modo tamen haec ex despectu, non vero ex levitate, aut simplici rusticitate fiant. Sic enim *Prov. 30. 17.*: *Oculum, qui subsannat patrem... effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilae.*

3º Graviter peccant, *per se loquendo*, si valde superbe et amare eos reprehendant, contradictionibus exasperent, vel asperis verbis alloquantur, vel sine causa moerore gravi eos afficiant; et *a fortiori* si per haec usque ad iram gravem eos provocent; si eis signa reverentiae iuxta morem patriae aut conditionis suaे studiose recusent, v. gr. si non assurgent ipsis advenientibus, aut caput non detegant, aut illos non saluent, modo tamen ex his parentes se graviter offensos existiment.

4º Item si eos pauperes, miseros, male vestitos despiciant, aut erubescant, aut agnoscere recusent, aut ut incognitos et extraneos habeant. Excipe tamen, si secluso contemptu ac superbia, iustum ob causam fin-

gant se illos non agnoscere, v. gr. ad vitandum aliquod incommodum, quod incurreret filius, si parentes eius noscerentur, etc.

QUAER. *An graviter peccant filii percutientes, aut male et irreverenter habentes, parentes hebetes, amentes, pree senio delirantes, ebrios, etc.*

Resp. *Affirm.*, si ex malitia aut contemptu agant. Patet exemplo infelicis Cham, filii patriarchae Noe, qui maledictus fuit a patre et a Domino ipso, quod irreverenter erga patrem ebrietate captum egerit. Secus tamen, si obiurgatio vel aliqua paulo severior tractatio sit necessaria ad parentes ratione carentes cohibendos.

III. Obedientia.

367. — Filii parentibus obedientiam praestare debent in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus, dum sub eorum potestate versantur. Constat ex iure naturali et ex Scriptura, *Ephes. 6. 1.*: *Fili, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim iustum est.* — *Coloss. 3. 20:* *Fili, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est Domino.*

368. **Resolves.** — 1º Peccant plus minusve filii, si in re spectante ad mores, animae salutem, et domus gubernationem parentes audire nolint, licet inconsideratio vel aetatis defectus illos ex parte excuset.

2º Item si prava consortia, si aleas aliosve huiusmodi lusus, aut loca periculosa, ut popinas, choreas, theatra, aut alia similia, non obstante seria parentum prohibitione, frequentent; peccant praesertim filiae, quae invitis aut etiam insciis parentibus cum procis conversantur, vel noctu domo egrediuntur, aut solae amasios alloquuntur.

3º Item si neglecto parentum mandato Sacraenta aut alia religionis officia notabiliter omittant; si operam dare nolint litteris aut artibus statui suo congruentibus, sive tempus absumant, et expensas pro ipsis factas inutiles reddant.

4º Item si quae ad bonum regimen, pacemque familie multum spectant, exequi recusent, vel si omnia pro arbitrio suo administrare velint, spreta parentum auctoritate, praesertim si arroganter et superbe respondeant: *Non faciam, age negotia tua.* — *Nihil volo mihi praecipiat.* — *Tedium et fastidium mihi affer.* etc.

5º Non raro tamen in praxi a peccato gravi excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quamdam negligientiam humanam, et saepissime ob parvitatem materiae. Imo saepe ab omni culpa immunes censi debent ob defectum preecepti rigorosi ex parte parentum. Ut enim peccatum praesertim grave contra obedientiam committatur, requiritur, ut parentes videantur stricte preecipere, non vero solum suadere, sollicitare, aut mentem suam significare. Dignoscitur

autem praeceptum verum iniungi ex modo serio seu severo, quo res praecipitur, et ex aliis adiunctis, v. gr. ex necessitate et magnitudine rei praeceptae, ex poena apposita, etc.

6º In rebus autem pravis, filii nec obedire debent, nec possunt. Patet ex iure naturali. Item ex Scriptura sacra. Sic enim *Act. Apost. 5. 29.: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* — *Matth. 10. 37.: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

369. **Quaesita.** — QUAER. 1º *An filii teneantur obedire parentibus in electione status?*

Resp. Neg. per se, quia quilibet homo quoad modum tendendi ad Deum ut finem suum ultimum, est omnino independens ab aliis hominibus (2); et proinde graviter peccant parentes, qui filios invitatos aut directe aut etiam indirecte cogunt ad statum eligendum sive religiosum, sive clericalem, sive coniugalem; vel contra, si eos omnino invitatos ab aliquo vitae statu eligendo sine iusta causa impidant.

Dixi *per se*: secus enim dicendum, si parentes ob graves et rationabiles causas filii contradicant, v. gr. si in gravi necessitate constituti egeant subsidio filii, nec illis alio modo succurrere hic possit, nisi remanendo cum ipsis. — S. Lig. n. 335. — Elbel.

QUAER. 2º *An possint filii amplecti statum religiosum insciis parentibus?*

Resp. Per se affirm. Imo aliquando consultius aget filius, si se divinitus vocatum sentiens ad religiosum vel clericalem statum, atque animadvertis sibi a parentibus iniuste aditum interclusum iri, rem eos celet, divinamque voluntatem exequatur. Hoc tamen non est suadendum filiis aetate *minoribus*, quoties res non adeo urget, aut non satis constat de vocatione divina. — S. Lig. I. 4. n. 68. In Gallia praesertim, et ubi vigeat eadem legum dispositio, cavendum est a tali consilio filiis minoribus praebendo, cum parentes auxilio brachii saecularis a quocumque loco eos abducere, et ad se revocare possint.

(2) *Modum tendendi in Deum* intellige quoad statum vitae. In Deum enim, uti ultimum finem tendere est per actus quoslibet; adeo tamen *independentes ab aliis hominibus* non sumus in actibus quibuslibet, ut non modo ecclesiasticis civilibusque legibus constringamus, sed parentum quoque praeceptis etiam in iis, quae ad Dei cultum spectant, uti reipsa ipse A. sup. n. 368. res. 3. advertebat.

Ad rem magis faciunt duo principia,

quibus S. Thomas utitur nempe 1º vocanti Deo magis obtemperandum esse, quam contradicentibus hominibus; 2º in iis quae ad naturam corporis pertinent, hominem homini obedire non teneri, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares: *Unde non tenentur... filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio huiusmodi.* Vid. 2. 2. q. 101. art. 4., q. 104. art. 5.

370. — QUAER. 3º *An filii possint, inconsulis parentibus, matrimonium inire?*

Resp. Neg., generatim loquendo, quoad licetatem. Vide dicenda in *Tract. de Matrim. c. 3.*

QUAER. 4º *An possit filius minor nomen dare militiae, invitis parentibus?*

Resp. Potest, ex *Codice civili Gall. art. 374.*, modo aetatem duodecim annorum attigerit; hoc tamen videtur valere tantum pro foro externo; excipe, nisi adsint causae sufficietes, v. gr. si filius in domo paterna omnino male tractetur, etc. — *Ita communiter.* — Vid. *Casus*, n. 359. et seq.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS

Filiis parentes debent 1º amorem; 2º educationem.

Ratio huius obligationis in ipsis naturae visceribus et titulo generationis fundatur. Utrumque enim natura docet, imo et bruta ipsa, quae foetus suos diligunt, iisque necessaria ad vitam conservandam conquerunt.

I. Amor.

371. — Parentes filios prosequi debent amore interno efficaci et ordinato, ita ut non tantum omne odium animique malevolentiam exuant, sed illos corde diligent, et quantum in ipsis est, ipsorum bonum curent, iisque in omni re prospiciant. Quemadmodum enim quisque seipsum amare debet, ita parentes filios veluti aliquid sui, carnem de carne sua, sincere diligere tenentur, ita ut post Deum nihil ipsis carius habeant.

Hinc plus minusve peccant contra specialem pietatis virtutem parentes.

1º Qui pravo affectu et iniusto odio in filios incenduntur, eosque suo aspectu dedignantur, aut gravia mala eis *serio* imprecantur, iisque, ubi opus sit, non succurrunt.

2º Qui eos nominibus graviter contumeliosis compellant. Sic enim ansam iracundiae ipsis praebent, eosque faciunt morosos et contumaces, contra illud Apostoli, *Ephes. 6. 4: Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

3º Qui occulta eorum delicta sine iusta causa manifestant externis. Possunt tamen sibi invicem parentes ea revelare, quia communicant in potestate puniendi, et expedit saepe, ut utrisque nota sint, ad perversiōnem filiorum praeavendam, etc.

4º Qui affectu inordinato eos diligunt, ita ut omnia ipsis concedant aut permittant, ne eos contristent; vel qui bonitate intempestiva utentes